

Michael Cobabus Peter Schröder

Disputatio Tertia De Bonis Felicitatem Civilem Comitantibus

Rostochii: Richelius, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729613216>

Druck Freier  Zugang



R 21 phil 1644

Michael Cobaeus, Rais

Peter Schröder Ref



11

In Nomine SS. Trinitatis
DISPUTATIO TERTIA
DE BONIS
FELICITATEM CIVILEM
Comitantibus.

Quam

Assistente Divina Gratia
*Consensu amplissima Facultatis Philosophicæ
in alma ad Varnum Academia.*

SUB PRÆSIDIO
M. MICHAELIS COBABI
Sternbergâ-Megapol.

Publica disquisitioni subicit

PETRUS Schröder / Hamburgensis.

*In Auditorio Majori ad diem 4. Decembr.
horis matutinis.*



ROSTOCHII
Literis Johannis Richelii, Sen: Typ.

ANNO M, DC, XLIV,

(22) 1644



DISPUTATIO III.

De

Bonis, quæ Felicitatem civilem comitantur,

I.

IN præcedenti Disputatione egimus de Natura felicitatis Civilis, & perspeximus illam nihil aliud esse, quàm operationem animæ rationalis, secundum virtutem perfectam, in vitâ perfectâ: Nunc igitur progredimur ad illa, quæ hanc felicitatem comitantur: Ut sunt Bona Naturæ arque Fortunæ, quæ conditionem illius, qui præclaras actiones vult producere, faciunt meliorem. Non autem hoc loco explicamus rationem formalem illius bonitatis, quæ est affectio Entis; neque ostendimus, quomodo bonitas alia sit Essentialis & alia per participationem: Siquidem illorum cognitio aliunde est petenda, & quidem ex ista disciplina, quæ est prima Philosophia, nisi optimo jure fieri posse judiceretur, ut de una eademque re agatur in diversis Disciplinis, in actu signato, quod est contra naturam, & methodum ubique singulari studio & labore accuratè observandam. Bona autem quæ felicitatem Civilem comitantur sunt Sanitas, Amici, Divitiæ, Honor, Gloria, Laus, Fama & Libertas.

II.

Sanitas est Dispositio corporis debita, & qualitatum conformitas iusta, qualis sufficiat in actionibus honestis producendis. Ad hanc refertur robor corporis, sensuum integritas, & congruentis facultatum animæ per naturam constitutio, ex quâ oritur facilitas recipiendi virtutem, & producendi actiones probas & honestas; Quam sanitatem Thales tanti fecit, ut illâ prædium felicem

E 2

licem

licem esse iudicavit: Nam interrogatus, quisnam felix esset, respondit: Qui corpore sanus est, animo autem eruditus: Unde Horatius l. i. Epist. i. inquit

Si ventri bene, si lateri est, pedibusq; tui: nil.

Divitiæ poterunt Regales addere majus:

III.

Amici sunt, qui ita dicuntur ab Amicitia, quæ est mutua, conspicua, & confirmata benevolentia, ex probitatis cognitione orta, & ad vitæ honestæ confirmationem perducens. Dicitur benevolentia 1. mutua, nam Amicus habet respectum ad illum, cuius est amicus, qui respectus non potest esse sine mutuâ benevolentia, unde Cicero in Lælio inquit: Eodem modo erga amicum affecti sumus, quo erga nosmet ipsos: & nostra in amicos benevolentia illorum erga nos benevolentia pariter æqualiterque respondeat. Cui facile ad stipulatur Philosophus, nam interrogatus quomodo Amici essent tractandi, non aliter, inquit, quam nos ab illis tractari cuperemus, 2. confirmata, nam benevolentia rursus inquit Cicero lib. i. Offic: non Adolescentulorum more, ardore quodam amoris, sed stabilitate potius & constantia iudicamus. Hæc facit, ut omnis officiorum commemoratio sit supervacanea, 3. Conspicua, oportet enim ut perspiciatur, in primis autem in rebus adversis & dubijs: Quemadmodum aurum igne, ita amici benevolentia periculo quodam probatur, In illo experimur, quos habemus amicos fidos, quos infidos: quinam vasa, quando plena sunt, evacuant, & quando sunt vacua, discedunt. *Subjectum* amicitia debet esse homo probus, quod ipsum declarat Picolomineus, dicens: nil apud nos divinius homine proboreperitur: Et jure optimo profecto amicitia vitij extinguitur, probitate servatur; Nam probitas purgat, purgata autem maxime sibi mutuo consentiunt. Probitas semper est sibi consimilis, sibi amica, suaque naturâ amabilis; Improbitas contra est sibi dissimilis, sibi met adversa, & odiosa alijs: Probitas necdit, Improbitas solvit & dissipat: Probitas est fidelis &c. *Causa efficiens* igitur amicitia veræ est virtus.

Di-

IV.

Divitiæ, quæ dicuntur comitari felicitatem civilem, hoc loco attenduntur, quatenus promovent præclaras actiones, & virtutum exercitio accommodantur, requirit enim illas felix, ut externè secundum virtutem operetur. Non autem existimandum est, quod illarum nullus ex natura rei sit terminus; sunt enim bona quæ mensuram recipiunt à fine, & à proprio nostro vitæ gradu, statu & conditione. quomodo illud ostendit Piccolomineus dicens: Non putandum est, divitiarum nullum ex natura rei esse terminum, ut perperam nonnulli existimarunt: propria indigentia naturæ & conditioni nostræ respondens censeri debet congruens mensura divitiarum.

V.

Honor est dignitas, quæ per manifesta signa offertur illi, quæ est vir probus, & beneficia confert in Rempublicam, ut illius virtus fiat conspicua, & alij ad virtutem invitentur. Quæ definitio non contrariatur definitionibus ab Aristotele & Cicerone traditis; sed tantum addit commune. quod Philosophus frequenter in definitionibus suis omittit. *Genus* honoris est dignitas: Hæc enim immediatè & proximè de illa prædicatur, *differentia* consistit in reliquis. Signa autem honoris simul denotant materiam vel objectum, quod est res illa, quæ ut verum & manifestum virtutis testimonium alteri offertur, quod, cum propter personarum & aliarum circumstantiarum diversitatem sit multiplex, non potest exactè determinari. Quæ signa in Republicâ tam sunt necessaria, ut sine illis non possit conservari. Anthistenes in interrogatus, quæ res portenderet civitatibus exitium, respondet: quando in illis nullum esse potest honorum ac malorum discrimen. Dicuntur igitur manifesta; Nam ille præsertim honor est, qui est publicum virtutis signum inquit Arist. l. 8. mor. Nicomach. *subiectum* honorandum est vir probus & beneficia conferens in Rempublicam: Nam eos, quorum vita perspecta est in rebus honestis atque magnis, & benè de Republicâ sentientes, aut aliquo honore & imperio affectos observare & colere solemus. Despiciamus autem eos & contemnimus, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervo-

rum putamus: quamobrem contemnuntur ij, qui nec sibi nec al-
teri profunt, ut dicitur: in quibus nullus labor, nulla industria,
nulla cura est. *Fine* est, ut viro probo id, quod suum est tribuatur,
eique occasio offeratur, qui non tantum in illa probitate perseve-
ret, sed etiam flagrantius incipiat virtutem colere; Improbus
autem qui nullo honore est dignus excitetur, ut pravis moribus
renunciet. *Causa efficiens* honoris non potest esse quodcumq;
subjectum; nam quomodo potest ille honorare, cujus iudicium
est corruptum & depravatum, ut non discernat inter illud, quod
est turpe vel honestum; sed potius illud, quod potest iudicare de
virtutum operatione, & in cuius est potestate signum virtuti con-
veniens viro probo offerre.

VI.

Gloria est dignitas, quæ posita est in communi voce, & opi-
nionem insignis probitatis, & meritorum alicujus. Dicitur quæ
posita est in communi voce, & opinione, nam honor est dignitas,
quæ per manifesta signa alicui offertur: Gloria autem potest esse
absque ejusmodi signis, est enim bona ex se ratio, uti Aristoteles,
inquit lib. 1. Rhetor: vel virtute præditum ab omnibus existi-
mari: & Picolomineus: Gloria est consentiens approbatio, com-
munisq; opinio insignis probitatis. Quæ communis opinio viro
probo addit calcaria in virtute exercendâ. Nam

Excitat auditor studium, laudatq; virtutem

Crescit, & immensum gloria calcas habet

Subjectum hujus communis vocis & opinionis sunt boni, qui be-
nè judicant de virtute cujusdam excellenti & meritis: Nam glo-
ria inquit Cicero est consentiens laus honorum, incorrupta vox
bene judicantium de excellenti virtute. Si igitur subjectum
communis opinionis sunt viri mali & inhonesti; dicendum est
cum Boethio: Gloria quam fallax sæpe quam turpis est non in-
juria Tragicus exclamat: Gloria in millibus mortalium nihil a-
liud est, quam aurium inflatio magna, si verò honesti & boni, nul-
la est tanta humilitas, quæ non dulcedine gloriæ tangatur. Nam

vix

vix reperitur, qui laboribus susceptis, periculisque aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. *Fundamentum & causa efficiens* hujus opinionis sunt virtus excellens & opera artium, unde Piccolomineus inquit: Encomium & gloria extenduntur etiam ad opera artium, cum honor sit tantum actionum à virtute animi prædeuntium: quod ipsum testatur Ovidius: dicens:

Artibus ingenium quaesita est gloria dulcè.

VII.

Laus est dignitas, quæ à paucioribus propter minus excellentem virtutem cuidam tribuitur. *subjectum* igitur quod laudat non est illud, cui in est virtus (laudat te alienus, & non ostium: & non labia tuâ inquit Salomon, Cui convenit ὄνειδος αὐτῷ μὴ φράσις ἐγκώμιον) sed viri boni & veritatem amantes: Nam à malis laudari non laus sed dedecus esse putatur. Antisthenes: audiens ab improbis quibusdam se laudatum esse, vereor, inquit, ne quid imprudens fecerim mali, Laërt: lib. 6 c. 1. *Causa efficiens laudis* est virtus minus excellens, nam in homine illud laudandum est, inquit Senec. Epist. 41. quod ipse est, formosam habet familiam, & domum pulchram, multum ferit, multum fecerit, nihil horum in ipso est, sed extra ipsum, lauda in illo quod nec eripi potest, nec dari, quod proprium hominis est. Si igitur quis quacunq; virtute destitutus cupit laudari, in illius commendatione dicendum est: Huic nihil deest nisi res & virtus: Quibus expositis patet, quod laus distinguatur à gloria, quæ magnitudinem quandam vel communem hominum opinionem postulat. 2. Laus & gloria ab honore, nam hæc quoq; referuntur ad artis opera eaque respiciunt ut usus præclaros: Honor autem est tantum actionum virtutum, eaq; respicit ut finem.

VIII.

Bona Fama est dignitas, quæ consistit in honesta bonorum de mortuis vel absentibus opinione. *subjectum* igitur ex cujus senten-

sententia pendet mortuorum & absentium fama sunt boni, qui
diferimen faciunt inter honestum & turpe & de actionum hone-
state rectè judicant. *Fundamentum & causa efficiens* sunt mor-
tuorum, & absentium virtutes, quæ faciunt ut de illis non possi-
mus non benè loqui. Etsi igitur fama cum gloria summopere
conjuncta est, differt tamen ab illa, uti Piccolomineus ostendit, di-
cens: Fama magis est eorum qui vita functi sunt: Quamvis non-
nunquam adviventes absentes extendatur; ut dum celebres scien-
tiarum Professores strenuq; militiæ duces, dicuntur fama super
æthera noti: Gloria autem etiam viventibus & præsentibus con-
venit. Insuper Gloria solum usurpatur in partem bonam, cum fa-
ma nonnunquam extendatur in malam.

IX.

Libertas est facultas, qua propria ratione & consultatione sine
impedimento honestè operamur omni loco & tempore. Huic
opponitur Servitus, quæ est affectio subjecti animi. *subjectum* li-
bertatis est, cujus omnia consilia, resque omnes quas gerit ab ipso
proficiscuntur, eodemque feruntur: nec est ulla res, quæ plus apud
eum polleat, quam ipsius voluntas, atque judicium. Cum hac li-
bertate non pugnat obedientia Magistratui & legi præstanda,
nam qui liber est ille recta sequitur, & legibus paret non propter
metum, sed eas sequitur atque colit, quia id salutare maximè judi-
cat esse: Pugnat autem turpiter cum illa 1. mulieris imperium,
quæ viro legem imponit, & sæpissime impedit, ut is, qui imperanti
nihil recusare audet, nullas actiones præclaras producat 2. Omnis
agendi turpitudine: nam liber est is æstimandus inquit Cicero qui
nulli turpitudini servit; quem autem superbus inflamat animus,
is testante Seneca nunquam liber est. 3. Amor rerum mutabi-
lium: Nam quem, inquit Augustinus, libertas vera delectat, is
ab amore rerum mutabilium liber esse appetat, quem verò regna-
re delectat, uni omnium Regnatori DEO subjectus sit plus eum
diligendo quem semetipsum.

X, Qui-

Quibus absolutis dicimus 1. Bona corporis & fortuna re-
vera sunt bona, quia 1. pendem ab omnium bonorum opifice, &
naturæ benignitate. 2. sunt necessaria & utilia. 3. præmiorum loco
à Deo nobis conceduntur. 4. illorum privatio sunt poena vitiorum.
Etsi igitur huic vel illi non semper sunt bona, in se considerata ta-
men semper & simpliciter bona sunt, uti Aristoteles testatur lib. 1.
Moral. Nicom. cap. 1. Huic sententiæ contradicunt Stoici & alij
Sapientes, qui munera externa corporis & fortunæ è numero bo-
norum excludere haud dubitarunt, eaq; non bona sed necessaria,
communia, utilia, indifferentia, & commoda appellarunt, cum il-
lud, quod viris bonis esset bonum & malis malum, ex se nec bo-
num nec malum esset. Sed Responderetur 1. disting. inter malum
simpliciter & malum alicui, 2. limitando subjectum majoris: Quæ-
cumq; viro probo sunt mala simpliciter & vitiorum instrumenta
absolutè, illa ex se, vel simpliciter non possunt esse bona. 3. Negan-
do minorem, & ostendendo, quod committatur fallacia opposi-
tionis, quia non malum alicui, sed malum simpliciter opponitur
bono simpliciter. Possunt igitur bonum simpliciter, & malum ali-
cui, uni rei competere sed diverso respectu: Bonum enim
dicitur ex se & sua natura, malum autem ratione utentis. Si igitur
viro probo sunt bona, sequitur 1. quod absolute sint bona: nam
1. vir probus à virtute dicitur, quæ est mensura rerum & cum illa-
rum natura conformatur. 2. Utitur illis tanquam instrumentis.
Jam instrumenta talia solent judicari qualia sunt recte utentibus:
Si igitur viro bono sunt bona, sequitur quod absolute sint bona.

2. Ad summum bonum vel felicitatem civilem requiruntur
bona fortuna & natura, quia 1. Homo præditus anima & corpore
tum dicitur felix, quando & animæ & corpori bene est. Quis enim
inquit Piccolomineus sibi consentiens felicem inter mortales ju-
dicabit illum, qui necessarijs egeat, naturam in ortu non matrem
sed novercam habuerit, fortunam semper inspexerit adversam,
adeo ut nulla ei dies serena refülserit, nulla ex eo illustris actio pro-
dire valuerit, nunquam secum, & cum alijs ad votum vixerit 2. il-
lorum

lorum presentia felicitatem civilem exornat; absentia autem illam obnubilat. 3. Sunt instrumenta, quibus opus est in virtutis exercitio.

XII.

Hæc bona debebant nunc quoque ut olim felicitatis humanæ esse comites; illudq; unicè promoverè, quod est honestum & optimū. Quid enim natura, & sanæ rationi magis est consentaneū, quā omnē turpitudinem detestari, atq; irā sanum, amicū, divitē, honore præditū & liberū esse, ut illud assequamur, quod nemini potest nocere? Nescio igitur ô homo, quare tui nūc obliviscaris; An non tu solus es illud animal, quod natum est pudoris ac verecundiæ particeps? Tuum sanè erat animadvertere in omnibus rebus, quas ageres, aut diceres; ne quid à te fieret, nisi honestè & decore. Si sentire cœpisses, quid sis, & quid ab animalibus cæteris differas; ea profectò insequi inciperes, ad quæ natus es: Sed formica formicæ est similis; tu autem similis esse nolis homini, & facis, ut te quærat Diogenes. Aspice quæso ô Christiane hanc fortis tuæ tristissimam conditionem. Si tu Diogenem quæreses, Ethnicum quæreses: Nunc autem Ethnicus te quærit. Apes, formicæ & cochleæ presentunt tempestatem, & tu non sentis præsens malum, nec omnium rerum interitum. Nisi sperares, fore, ut lunæ esses similis, atq; semel extinctus renascereris, & repubesceres, quò aliquândo famā tuam non negligeres, atq; posteritati relinqueres, quod imitaretur, & de quo sibi gratularetur, nunquam concederes, ut bona tua comitarentur felicitatem stultam & insanam. Nunc autem hæc tua spes est vana; Ejula igitur cælum, lamentare terra, Christianus definit Christum sequi.

COROLLARIA.

1. *An virum probum deceat, ut ab illo, in cujus potestate est virtutū premium, petat sibi honorem offerri, a.*

2. 48

2. An virum probum deceat, ut ab illo, in cuius potestate est virtutis premium perat, hunc velillum honorem sibi offerri. N.
3. An tibi laudem mereantur, qui omnem honorem contemnunt & parum curant, quid de se alij dicant & sentiant. N.
4. An detur casus, in quo vita & fama pari passu ambulant. A.
5. An vir probus propter parentum improbitatem sit indignus honore. N.
6. An Recriminatio pugnet cum Dei voluntate. A.
7. An vir probus possit suo honore privari per aliorum calumnias, obreftationes & contumelias. N.
8. An honor sit honoranti vel honorati. D.
9. An Pythagorica ratio sit approbanda. N.




Moralis Sophiæ SCHRODERE *προβλήματα* vera
 Ut ponis *σφῶς*; sicque tuere *σφῶς*.
 Et veluti pelagi rupes immota resiste,
 Ut vis adversis vincere nulla detur.
 Varniacis sic tu præcellens Gloria Musis
 Suspiciendus eris, laude vehendus eris,
 Pergito iò! patrias clarus migrabis ad oras.
 Pergito iò! felix & memor esto Scopli.
 Pergito iò! felix fido comitatus Achate
 Quo valeas felix ipse, redisse, Vale.

*Prestantissimo atque Doctissimo D. Respondenti
 amico & commensali suo dilecto ex inclusa
 Kosurbina abiturienti.*

M, MATTHIAS vom Lohse
 Pastor: Cathar;

F 2

Bis



Bls pronuper ego sub praeside pulpita pressi
Ingenij ostendens munera parva mei.
Amule me sequeris, Cathedram bis scandere ge
Ingenij vires prapositione tui. (sti.
Perbellè monstras, quod amicis una voluntas
Alter quodq; velit, mox velit alter idem
Quod si velle eadem, si nolle eadem firmissimo
Ut vulgo dicunt, vincula amicitiae (nectit
Crede mei cordis non ultima portio Petre,
Nullius hâc nostrâ firmior esse potest
Applaudo factis, fauveat tibi summus Jova
Moxq; recedentem rutè reducat Amen.

Ita εὐφύχως amico
perdilecto vovet

JACOBUS HOGIUS
Hamburgensis.



Fragment of text from the reverse side of the page, visible through the paper. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through, but some words like "Herrn" and "Herrn" are faintly visible.

2. An virum probum deceat, ut ab illo, in cuius
præmium perat, hunc vel illum honorem fibi
parum curant, quid de se alij dicant & senti-
ant.
3. An ibi laudem mereantur, qui omnem hono-
rem parum curant, quid de se alij dicant & senti-
ant.
4. An detur casus, in quo vita & fama pari passu
perdantur.
5. An vir probus propter parentum improbitate
notetur. N.
6. An Recriminatio pugnet cum Dei voluntate.
7. An vir probus possit suo honore privari per
obscurationes & contumelias. N.
8. An honor sit honoranti vel honorati. D.
9. An Pythagorica talio sit approbanda. N.



Moralis Sophiae SCHRODERE
 Ut ponis *οὐκ ἔστι*; sicque tuere
 Et veluti pelagi rupes immota resiste
 Ut vis adversis vincere nulla detur
 Varniacis sic tu præcellens Gloria M
 Suspiciendus eris, laude vehendus
 Pergito iò! patrias clarus migrabis ad
 Pergito iò! felix & memor esto S
 Pergito iò! felix fido comitatus Acha
 Quo valeas felix ipse, redisse, V:

*Præstantissimo atque Doctissimo D. Re-
 ctissimo & commensali suo dilecto ex
 Hofurbina abitarienti.*

M, MATTHIA
 Pastor: Catha

F 2

